

Π 9
678



61
575
38



575
38

II g
678

I. N. I.
CATALOGVS
LECTIONVM

&
EXERCITATIONVM,

Quae
IN IOANNEO HAMBVRGENSI

per proximam aestatem habitae,

publicoque Examini

Anno MDCCLXIII. d. XVIII. & XIX. Octobr.

*ab hora IX. antemeridiana & III. pomeridiana,
debita integraque fide subjiiciendae sunt.*

Cui Examini Solenni & Publico

ut vacare velint

Omniū Trium Collegiorum

AMPLISSIMI DOMINI SCHOLARCHAE,

Omnesque, quotquor Scholae Classibus examinandis

sua auctoritate adesse solent,

per hunc Indicem

qua decet, observantia & humanitate
rogantur & invitantur.



Hamburgi,

Litteris I. C. Piscatoris, Ampliff. Senatus, Gymnasii & Scholae Typographi.



A. M. E.
CATALOGVS
LECTIOMVM

EXERCITATIONVM

IN IANNO MDCCLXXIII

ANNO DOMINI MDCCLXXIII
MDCCLXXIII

CHRISTIANI JOHANNI & T. P. P. P.

AMBRASII BOHNI SCHOLARCHAE

per hunc indicem

in hunc indicem





RECTOR IOANNES SAMVEL MÜLLER.

Proxima superiori ætate divino auxilio sublevatus

In THEOLOGIA DOGMATICA locos III. postremos, eamque denuo exorsus, quæ B. Hutterus omisit *Prolegomena de Natura & Indole Theologiæ generatim, et Theologiæ dogmaticæ speciatim* spectata, cum articulis V. primis;

In Celeb. BAYMEISTERI Institutionibus PHILOSOPHIAE RATIONALIS Capitis Tertii *de Veritate Certa et variis modis ad eam perveniendi* hos posteriores XL. Quartum *de Veritate Probabili, Quintum de Meditatione legitime instituenda, et Veritate per eam investiganda, Sextum de modo librorum legendi et dijudicandi, Septimumque de modo alios convincendi;*

CICERONIS *de finibus bonorum et malorum* Librum III. IV. & V.

Ejusdem *disputationum Tusculanarum* Librum primum dimidium, LIVII *Historiæ Romanæ* Libri tertii capita XX, Librum IV. V. & VI.

A 2

PLA-

PLATONISque *Alcibiadem Priorem, sive de Sapientia* Dialogum,
a pag. 1. usque ad 70 dilucidavi.

ORATIONIBVS domi elaboratis limam adhibui.

Privatim TACITI *Annalium* Libri Sexti capita XX. Librum XI.
XII. XIII. XIV. et XV. integrum,

OVIDII *Metamorphoseon* XII. dimidium, XIII. XIV. & XV.

In NIEVPOORTI *Ritibus Romanis* Sectionis Sextæ caput IV.
V. et VI.

PHYSICES Partem II. III. et IV. præeunte Summe Rev.
ERNESTIO,

Ejusdem *Initiorum Doctrinæ solidioris Prolegomena,*

In ejusdem *Interprete N. T. Partis secundæ* caput VIII. de *usu*
scriptorum judaicorum, IX de *interpretibus N. T. eorumque usu*, & decimi
de *usu disciplinarum* Sos XC.

In REINHARDI *Institutionibus Stili Latini* præter *Prolegomena*
Capitis primi sectionem I. de *puritate*, II. de *perspicuitate*, III. de
dignitate, IV. de *suavitate stili* explanavi.

STILVM auditorum in *latino patrioque sermone et subita & me-*
ditata exercitatione polire allaboravi.

In GEOGRAPHIA *Marchiam Prignitiensem, Mediam, Ucker-*
nam, Novam, Pomeraniam, Appendicem Germaniæ ad JVS PVBLICVM
pertinentem, *Seelandiam, Fioniam, Insulas Daniæ minores, Chersonesum*
Cimbricam, et regnum Norvagiæ,

HISTORIAM denique DANICAM a *Christiano V. usque ad*
hæc nostra tempora duce Perillustri GEBAVERO recensui, nec paucos,
exteriorum præcipue, errores notavi, qualis ille est, quem nuperrime
Continuator historiæ vetustioris Rolliniane, quam se superaturum polli-
cetur, admisit, affirmans, famosum illum *Ottonem Bruggmannum*, qui
auctorem novæ ejusdemque quæstuosissimæ navigationis in *Persiam* sese
professus est, non modo duci Holfatiæ et magno duci Russiarum, sed
Senatui etiam *Hamburgensi* id consilium persuasisse, qui eum in hac
Urbe capite truncari jusserit. Merito miratur scriptor eruditus der
Hamb. Nachrichten aus dem Reiche der Gelehrsamkeit. 1763. N. 48. eum
ab interprete Germano Berolinensi non esse emendatum.

Idem

Idem iter et in posterum pergam, Deumque immortalem oro, ut prosperam valetudinem docilesque discipulorum mentes mihi indulgeat.

CONRECTOR IOANNES MARTINVS MÜLLER.

Quum teste Seneca *non tam benignum et liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid vacet ex illo perdere*: merito illi, qui aerumnosam erudiendae iuuentutis prouinciam integerrime administrant, sibi cauendum censent, ne aliena eademque non necessaria sectentur et, quum capiti mederi debeant, reduuiam curent. Quare ad veram discipulorum vilitatem respiciens aestiuus etiam mensibus neque prius, neque antiquius quidquam habui, quam ut singulorum inopiae atque indigentiae optimis remediis tam publice, quam privatim occurrerem.

PVBLICE in *Hebraicis* minus exercitiores, iactis sanctioris linguae fundamentis, *librum Iudicum* a capite XIV vsque ad XVIII. analytice interpretati sunt, ceteri vero in expedita *posterioris libri Regum* nunc propediem finiendi lectione non sine insigni fructu perrexerunt. In Graecis e novi foederis codice *commentariis Lucae de rebus gestis Apostolorum* cursim excussis *tres epistolas Ioannis* addidi, enodatori autem *commentatione epistolae Pauli ad Romanos* partem posteriorem et priorem ad *Corinthios* nec non *Chrestomathiae graecae* locos Thucydidiis persequutus sum. Ceterum quotiescunque prouectiores ad consequendam exquisitiorem graecarum litterarum intelligentiam nunc Thucydidem in latinum sermonem conuerterunt, nunc propositum argumentum graecae elaborarunt, reliqui praecepta grammatices recoluerunt. In *latinis Virgiliti Aeneidos* lib. III. et IV. *Horatii carminum* lib. III. et IV. et *Plinii epistolarum* librum II. dimidum et III. integrum additis simul variis tam vinctae, quam solutae scriptionis exercitationibus dilucidavi. In *Historia vniuersali* praeeunte Freyero res memorabiles populi Iudaici sub *Rebus*

bus, Principibus et summis Sacerdotibus atque coaeuarum gentium e limpidissimis fontibus haustas propinaui. Denique Geometriae amatoribus, quoties temporis circumscripti ratio permisit, non plane defui.

PRIUATIM omnes mei conatus eo pertinuerunt, vt qui peracta lustratione vernali in disciplinam nostram concessissent vna cum aliis frequentandis scholis publicis aptiores redderentur. Quo consilio illorum inchoatam intelligentiam non tantum crebris exercitationibus Syntacticis, verum etiam auctorum intellectu facilius lectione ac conuersione percolui. Vnde sepositis aliquamdiu epistolis Plinii partim *Curtii de rebus gestis Alexandri* M. lib. III. partim *Sallustii Bellum Catilinarium*, partim *Ciceronis de Officiis* lib. I- et II. enucleaui. Ne vero et latinorum poetarum amoenitates atque delicias inelibatatas plane praetermitterent, ea, quae publice ex Virgilio Horatiique carminibus exposita illustrataque sunt, repetendo denuo in suam rem conuerterunt. Quibus tandem quinque *Eclogas Virgilii* subiunxi atque illos, in quibus ingenii vires inesse intellexi, in latina aequae ac germanica poësi exercui. Praeterea *Logicam* redauspicatus praemissa eius prolusione praecepta de *Notionibus, Definitionibus et verborum usu*; in *Rhetorice* duce *Gottschedio* regulas de conscribendis *Fabulis, Descriptionibus, Laudationibus et Comparationibus* et denique in *Geographia* duce Büschingo tabulas Daniam, Sueciam, Russiam, Poloniam, Prussiam et Hungariam oculis nostris subiicientes perlustrari. Accessere horae quaedam separatae, quibus alii in interpretatione prophetarum minorum, alii in addiscendis linguae hebraicae elementis elaborarunt.

Quos labores maxima ex parte per imminentem hiemem profecturus Deum immortalem suppliciter veneror, vt in hac temporum efflorescentia iniquitate vna cum schola reipublicam saluam semper et incolam praestet conseruetque.

SUB-

SUBCONRECTOR, LUDOVICUS HAKE.

Divina adspirante gratia, æstivis mensibus proxime elapsis, rationibus studiose juventutis consulurus,

In *Theologicis* ex *Compendio Hutteri* articulum VII. de Providentia Dei, VIII. de *Peccato in genere & in specie*, IX. de *Libero Arbitrio*, seu *viribus humanis in rebus spiritualibus*, & X. de *Lege Dei* quam potui planissime explicui & confirmavi, ad fidei præcepta præceptis officii ac morum subinde adjunctis.

In *Græcis*

Præter *Dicta sacra*, ad probanda fidei dogmata ab Huttero adhibita,

Quæ a *Luca de rebus gestis Apostolorum* capite VI. & X. sequentibus recensita, atque

a *Plutarcho* in libro de *Educatione Liberorum* capitibus XV. XVI. & XVII. de adolescentia bene prudenterque moderanda ac gubernanda præcepta sunt, vocibus ad Grammaticam diligenter examinatis, dilucidavi.

In *Latinis*

Chrestomathie Ciceroniane Sectionem LXIV. de *Flagitiis Catilinae* & V. quæ sequuntur,

Ciceronis Epistolarum, quæ *Familiares* vocantur, librum XV. dimidium,

ex *Plinii Epistolarum selectarum* libro III. epistolas VIII. postremas,

ex *Julii Cæsaris Commentariorum de bello Gallico* libro V. capita XXV. prima, &

ex *Ovidii Epistolarum ex Ponto* libro I. epp. V. postremas & II. primas ex libr. II. habita simul Syntaxeos & Profodiæ ratione, enodavi.

Quæ ad *colendum stilum & latini & vernaculi sermonis*, ejusque tum *soluti*, tum *ligati*, requiruntur exercitia varii generis, in iis discentes perpetuo fere habui occupatos.

Atque

Atque etiam rationem *praeceptionum rhetoricarum Gottschedii*, quibus oratio redditur & copiosior & ornatio, accommodare ad exercitationem studii.

In *Historia Universalis* post natum Christum ab Imperatore Romano Augusto usque ad Augustulum progressus, quæ in re civili & sacra potiora sunt momenta commemoravi, repetitis breviter, quæ ante Christum natum a Romanis sub Regibus & Consulibus gesta sunt.

In *Geographia Lustaniam, Hispaniam, Galliam & Italiam* perlustravi, in iisque regionibus quæ vel olim vel nostro ævo gesta scitu sunt necessaria, percensui.

Denique & iis operam meam navavi, qui *Hebraicæ linguae* studio non nihil temporistribuendum putarunt, quorum desiderio ut satis facerem, nihil intermisi.

Neque per hiemem officii mei partes in excolendis adolescentum studiosorum ingenii deferam. Conatis nostris Deus Optimus Maximus fateat, omnesque labores prosperos ac fortunatos esse jubeat.

M. IOH. CHRISTOPH. WERNER, Classis Tertiae Praeceptor,

Sustentante, quod omnia moderatur, Numine Divino,
PVBLLICE,

Praemissis *Sacris*, et explicatis, post *Catechismum Hamburg.*, *regulis Grammaticis*, *recitatisque memoriter* pro more recitandis, praecunte *B. Huttero*, enodavit Articulum VII de Providentia Dei, et, qui illum excipiunt, IIII, atque ex *Kirchmanni Florilegio Ethico*, capita VI, facto initio a cap. XX de Exercitatione etc. deinde

In *Latinis*, ex *Historiis Selectis*, Libri II caput XVI et reliqua, nec non Libri III capita III prima; ex *Iustini Historiis Philippicis*, Librum XXIIII, XXV et XXVI; ex *Terentii Fabula*, quae *Heautontimorumenos* inscribitur, Actus IIII Scenas V postremas et Actum V; atque ex *Ovidii* Libro II *Tristium*, Versus CXXXIIII;

In *Graecis* *Sectiones* aliquot *Euangelicas*, una cum *dictis probantibus*;
Srili

Stili colendi, tantum abest, ut fatietas unquam ceperit discipulos, ut ei potius novo semper ardore certatim operam dederint, nunc pensa quaedam de *Germanicis* in sermonem *Latinum*, nunc de *Latinis* in *Germanicum* convertendo; pari studio in exercenda *Poëtica* collocato.

Historiam Universalem Vet. Instrumenti, duce *Freiero*, ad tempora usque *Maccabaeorum* est persecutus; uti

Adhibitis *Tabulis Geographicis, Biiſchingii* ductum secutus, *Portugalliae, Hispaniae Galliaeque* regiones et urbes praestantiores enarravit, non facile praetermissis, quae hic isthic cum primis videbantur commemorazione digna.

PRIVATIM

Exhibitis et calamo emendatis, quae ex *Lichtii Syntaxi Epistolica* Latine reddita erant, pensis,

In *Latinis*, elucidavit ex *Hist. Selectt.* Libro IIII, capita V, orsus a cap. XV; ex *Iulii Caes. Commentariorum* Libro II de bello Gallico, capita X postrema, et Libri III capita X prima;

In *Graecis*, ex *Evangelio Iohannis*, caput XIII, et quae sequuntur, IIII;

In *Hebraicis*, praeter dicta probantia, *Genes.* capitis tertii partem reliquam, caput quartum, et, ne in messem alienam falcem immitteret, denuo capitis I partem ferme dimidiam priorem; ceteris, quae saepius commemorata, non neglectis.

Nec minori curae fuit *dicendi Ars*, quippe in qua colenda pro suo quisque modulo ingeniique facultate variis elaborationibus non modicam adhibuit diligentiam.

In *Novi Foederis Historia Universali*, post *Periodi nonae* partem posteriorem, *Periodum I* denuo exposuit atque illustravit; repetita semel iterumque *nova Principum Europaeorum Tabula*.

B

IR



In *Geographicis*, Circuli Austriaci, Burgundiaci, Electoralis-Rhenani et Franconici regiones atque urbes nobiliores recensuit.

Ceterum ut et futuros labores fortunare, corporis aninique vires largiri, et patriae cum primis rebus afflictis efficaciter subvenire velit Deus Benignissimus, est, quod ex animo optat, omnique contentione ab Eo petit.

IOACH. CHRIST. OBERDÖRFFER, Quartae Classis Praeceptor.

Quemadmodum adhuc semper labores demandatos Scholasticos canendo et orando, sic etiam proximis emensis aestivis mensibus, auxilio Dei sustentatus, istos non modo incepit, sed etiam clausit.

Post hunc peractum cultum divinum quaedam pars Catechismi nostri recitata, et caput quoddam S. Codicis perlectum, et ad vitae sanctimoniam, et fidei confirmationem, quod de Christo, Redemptore nostro, omnes Prophetæ testentur, demonstratum est, quo in labore a Salomonis, Regis illius sapientissimi, Proverbiis ad Vaticinium S. Jeremiae pervenit.

Cum autem per hoc semestri spatium nullum omnino discrimen discipulorum, sic etiam nullam discrimen lectionum fuit, sed eadem lectiones, publice tractatae sunt etiam privatim repetitae et auctae.

Diebus itaque C et 4 horis matutinis et quidem prima et dimidia Caput I. compendii nostri Catechetici de *Lege*, ejusdemque Capituli II. duos Articulus *Fidei* de Creatione et Redemptione per quaestiuiculas ex Suis quaerens, respondentes auscultavit et explicavit.

♂ et ♀ Dicta Classica in fine Grammaticae congesta,
♀ et ♂ Pericopas Evangelicas et Epistolicas elucidavit.



vit. Reliquum temporis spatium vel auctoribus interpretandis, vel Pericopis Euangelicis Graece legendis tribuit. Horis vespertinis Vocabula, duce Cellario, memoriae impressa recitari iussit, et ad Normam Legum nostrarum Declinationes et Coniugationes, tam regulares, quam irregulares sedulo quotidie pertractavit. Post haec sese ad explicandos auctores huic Ordini praescriptos accinxit. Quorum primarius *Cicero* esse videtur, cuius Lib. I. & III, epistolas LXXXIV continentes, absolvit. Quem secutus est *Corn. Nepos*, cuius Imperatorum IV postremorum Vitas, Hamilcaris, scilicet, Hannibalis, Catonis et Attici exposuit, imprimis ad omnia huius ultimi, et si ethnici, virtutum genera Suos exhortatus imitanda. Tanta enim ejus, teste Cornelio, virtutum multitudo narratur, quanta vix in homine Christiano reperitur. Hunc excepit *Aesopus* suis Fabulis, a quinquagesima prima usque ad finem, quae non solum ad erudiendos animos, sed etiam emendandos multorum mores plurimum juvant. Denique *Feindii* Sententiarum Decurias XLV non tantum explicavit, sed etiam memoriae mandanda curavit, versusque crebro occurrentes ad regulas Profodiae examinavit. Praeterea domestico studio quotidie vel formulas, quas Grammatica exhibet, vel Argumenta e Specchio aut ex Mickelio deprompta e vernacula in Latinam linguam transtulerunt, et quavis hebdomade epistolam Germanicam, quae hanc vel illam materiam feriam complectebatur, exararunt, et ita ad sensa animi exprimenda adfuefacti sunt. Novitiorum causa, qui post superius Examen accesserunt, Historiam Univerfalem et Geographiam de novo inchoavit, in *Illa*, ad ductum Freyeri V Periodos Populi Israëlitici, in *Hac* vero Tabulas de Globo, Europa, Asia et Africa perlustravit, nec quicquam, quod ad delectandum aut exornandum animum conducere, intermisit.

Vlterius progredi non licuit, sed sperat omnem a Summo Numine sibi opem allatum iri, ut pari studio ac fide, optima valerudine fruens in posterum Suos erudire queat.

IOH. IACOBVS VOLCKMANN,
Quintae Classis Praeceptor.

Non alienum neque ab officii nostri partibus neque ab indice lectionum et exercitationum esse puto, si, quod leges nostrae iniungunt, non modo pertractatarum lectionum argumenta, sed earumdem quoque pertractandarum consilia, rationes, usum, quemque inde sperare possimus fructum, explicatius proposuerimus. Est autem haec, quae ipsi sacrarum litterarum monumentis commendatur, non contemnenda puerorum instituendorum ratio, vt, simulac indigentiae suae sensu permoueri rerumque, quae ad securitatem felicitatemque faciunt, intelligentes esse coeperint, non modo a cognoscendis et colendis iustitiae, aequitatis, continentiae, temperantiae, humanitatis, morumque elegantiorum atque decentium officiis non prohibeantur et retardentur, sed quod praecipuum erit, ad rerum omnium creatorem et gubernatorem ita adducantur, vt, cuius nutu atque imperio coelum et terram agitari, seque ipsos moueri et viuere facile intelligunt, eum tamquam vnicum praesentis et insequenti felicitatis suae auctorem et cogitatione considerare et animo venerari, omnesque, quibus ipsius beneficio valent mentis corporisque vires ad diuinam gloriam celebrandam conferre doceantur.

Cum vero me non fugit, haec salutaris sapientiae initia tantummodo esse et quasi elementa, tum locupletioribus sacrae scripturae testimoniis edoctus, subsistentis hic neque ulterius progredientis operam infrugiferam fieri et superuacaneam certissime censeo.

Quid enim est in vniuersa hac institutione, quod mortales homines in tanta virium suarum rerumque praesentium imbecillitate et deficientia spe quadam indubitata erigere, confirmare, rescicere et exhilarare possit, nisi, quam diuina oracula suppeditant *filius Dei* vnicui salutaris cognitio nostraeque per eum iustitiae, sanctitatis et aeternae aliquando salutis explorata quaedam expectatio atque fiducia accesserit.

Primum

Primum igitur hoc meum Christiani præceptoris officium esse iudicavi, ut discipulos precibus ad DEVM omnium bonorum largitorem præmissis, ex ipso verae sapientiae fonte redundantes ad nos diuinæ gratiæ riuos gratissima mente excipere atque haurire admonerem.

Considerauimus deinde in V.T. *Estheræ* exemplo, qualis et quanta sit tum in reprimendis consiliis superbientium vel ingenio suo vel honoribus et opibus, tum in eripiendis, qui suis dissisi viribus in DEVM vnice confidunt diuina sapientia atque potestas. Sancti *Iobi* pietas, integritas, fiducia et patientia, eiusdemque asperrima et prosperrima denique fata ad ferendas ex voluntate DEI præsentis vitæ calamitates, animumque ad dolores et labores tam obfirmandum quam roborandum nos incitauit. Regis et vatis diuinitus edocti *Dauidis*, quas cecinit, *Supremi et immortalis Regis* laudes, quamque diuinis cantilenis expressit verae respicientiæ et virtutis non infucatae imago, eiusdemque de Christo, filio et Domino suo, huiusque officio et merito vaticinia, collatis, quæ sancti *Euangelistæ Lucas* atque *Ioannes* in commentariis suis de vnigeniti filii Dei in carne humana resplendescente gloria et virtute consignarunt, ad gloriosissimum hunc salutis humanæ instauratorem sincera poenitentia et fide amplectendum, eiusque sanctissimam doctrinam atque exemplum obsequiosissime colendum efficacissime nos excitantur.

Adiunximus his exercitationibus expositionem et repetitionem *textuum sacrorum*, qui in concionibus sacris populo proponuntur, nec non Catechismi *Hamburgensis* enucleationem, cuius partem postremam de Spiritu S. de *precibus*, *sacramentis* et peccatorum confessione absolui-

mus. PVBlice præterea in *Latinae* atque *Vernaculae linguae* lectionibus id egi, ut præter *vocabulorum pensâ*, quæ quotidie et matutinis et vespertinis horis recitantur, *Etymologiæ paradigmata* et *Syntaxeos regulas* memoria custodirent.

In tirocinio dialogico VI decurias, quae priores tres excipiunt: in Latinis b. Hubneri historiis, N. T. quae residuae erant omnes, adiunctis decem N. T. capitibus: in selectis Ciceronis epistolis lib. I. totum, et in historia vniuersali, quae tempore instauratorum a b. Luthero sacrorum memorabilia acciderunt, perlustrauimus

PRIVATIM: In *Eutropii historiae Romanae* compendio, finitis Lib. XI et XII sectionibus, Librum I. redorsum sumus: in Cornelii Nepotis commentariis Iphicratis, Chabriae, Timothei, Datamis vitas et Epaminondae X capita explicauimus: in Phaedri fabulis autem Lib. tertium et sex libri quarti fabulas, adiunctis XXXVII ex Feindii sententiis Decurias, et nonnullis ex Ciceronis epistolis, quae Lib. II. selectarum epistolarum continentur. Prouectioribus quoque discipulis bina quibus stilum formare addiscerent themata, imbecillioribus autem formulas syntacticas latino sermone exprimendas elaborandasque proposui, easque coram emendandas curauimus.

Regiones et vrbes, quibus Lusitania, Hispania, Gallia, et Britannia distinguitur, ex mappis Geographicis; quaeque ab Imperatoris Alberti Austriaci memoria vsque ad Caroli VI. imperium gesta sunt, ex Historiae vniuersalis commentariolis strictim cursimque recensuimus.

Quod reliquum est, sanctissimum Numen, cuius prouida cura tot ingruentia a ceruicibus nostris mala depulsa esse cernimus, submissis imploro precibus, vt ciuitatis nostrae tam sacrae quam ciuilibus incolomitatem tueatur, florem et vtriusque in dies augeat. Faxit idem illud, vt, qui ad colendum et amplectendum SERVATOREM nostrum diligentissime instituuntur discipuli, ad exprimendam quoque vita moribusque aeterni Regis gloriam, in spem patriae, ornamentum reipublicae, parentum gaudia nostrasque excrecant et efflorescant delicias.

IOAN-

IOANNES CHRISTOPHORVS
EBBERS,
Sextae Classis Praeceptor.

Semestri hoc aestiuo, diuino corroboratus auxilio, lectiones absolui sequentes:

PUBLICAE

In *Catechismo* caput primum ac secundum, et tertii partem aliquam;

Historias sacras veteris ac noui Testamenti, a B. Hübnero e sacro eodice selectas;

Lectionem Bibliorum sacrorum a vaticiniis Danielis ad Amosi praedicta diuina;

Pericopen Evangelicam et *Epistolicam* quavis hebdomade;

Fundamenta linguae latinae repetita, flexionemque Nominum ac Pronominum per Casus, Verborum et regularium et irregularium ac defectiuorum per Tempora et Personas, non neglectis Syntaxeos regulis;

Tirocinium paradigmaticum ad finem;

Colloquiorum Decuriam tertiam;

Historias sacras, supra nominatas, ex versione Castellionis latinis XXV;

Geographiae tabulas praescriptas.

Vocabula ex Cellarii libro memoriali discipulorum alios, alios ex Grammatica verborum Praeterita et Supina, reliquos primitiua linguae latinae, memoriae tradita, memoriter pronuntiantes audiui.

PRIVA-

PRIVATIM

Tabulae synopticae Catechismi nostri partem priorem, Theologiam strictè sic dictam complectentem, dictis Scripturae sacrae illustravi.

Libros Novi Foederis, ab initio ad Epistolam Pauli ad Ephesios lectos, explanavi.

Fabulas Phaedri libri tertii et IV, ac

Colloquiorum Decuriam VI, VII, VIII et IX explicarunt, non neglecta analysi Grammatica, et imitationibus quavis hebdomade binas elaborarunt tirones.

In Historia yniuersali, praecunte Freyero, notatu tantum dignissima obseruantes ad periodum N. T. quartam peruenimus.

In Geographico itinere nostro Magnam Britanniam, Hiberniam, Asiam et Africam peragrauimus.

In his lectionibus, diuino adspirante Numine, omni industria totisque viribus pergam.

IOANNES NICOLAUS HAAK,
Septimae Classis Praeceptor,

Proximis mensibus aestiuis diuino auxilio suffultus, absoluit

In Catechismo nostro ab octauo Decalogi praeepto vsque ad appendixem, Capiti Vto adnexam, quae de confessione peccatorum clauumque potestate agit;

Historias

Historias biblicas, ducente Hübnero, tum Veteris, tum Noui Testamenti propemodum omnes; *pericopis* enucleandis minime neglectis;

In Bibliorum lectione XII reliqua Leuitici capita, Numeros, Deuteronomion et XII priora e libro Iosuae capita.

Dicta probantia, et *vocabula* quotidie suorum plurimi lubenter recitarunt; *historiasque latinas* aliquoties singuli perlegerunt.

In latinis suos exercitauit tam in declinandis nominibus substantiuus et adiectiuus, quam in coniugandis verbis regularibus, vtro-
rumque paradigmatis; *in Tirocinio Paradigmatico* iterum duas peragravit paginas.

Prinatis horis e *Catechismo* publice pertractata repetiit, prolixiusque explicuit.

In Bibliorum lectione et explanatione absoluit a libro Iosuae Samuelis librum II dum.

In latinis quam studiosissime reiterauit non tantum Declinationes ac Coniugationes regulares, earumque paradigmata, verum etiam irregulares addidit et Pronomina; verba Defectiua et Imperfonalia, quantum non praepediuit discipulorum aetas, delibauit: *Tirocinium Paradigmaticum* a pag. 259. vsque ad finem perduxit.

Vocabula nonnulla quouis die a suis etiam his horis recitari audiuit e Cellarii libro memoriali, a maioribus primitiua cum deriuatiuis, a minoribus tantum primitiua, domi memoriae infixa.

Freyero duce *Historiam* Iudaeorum finiit; *in Geographicis* mappas praescriptas suis familiares reddere studuit, nimirum Globum, Europam atque Germaniam, exhibentes.

C

In

In his similibusque lectionibus indefesse perget; pergat tantum DEVS T. O. M. conatibus nostris etiam in posterum adesse, laboresque nostros semper frugiferos esse clementissime iubeat!

IO. ANDREAS GODOFREDUS
SCHETELIG,
O^{ct}avae Classis Praeceptor.

A estivis nunc elapsis mensibus diuino auxilio diuinaque gratia suffultus atque non parum, quod sensi, quodque in DEI T. O. M. laudem gratisimus praedico, corroboratus, praemisissis praemittendis, publice quidem, ductu *Catechismi nostri Hamburgensis*, a quarto decalogi praecepto, in quo substiteram, incipiens, ad doctrinam veni de confessione peccatorum; ideoque *secundam legis a DEO datae tabulam*, articulos, *de creatione et providentia, de sanctissimo seruatore nostro IESV CHRISTO, de Spiritu S. actibusque gratiae, de precibus, et sacramentis*, pro captu tirunculorum meorum explicui.

In lectione codicis sacri ab epistola D. Pauli *ad Colossenses* ad finem N. T. librorum perueni, *Psalms xxxv.* primis subiunctis. *Historias Hübnerianas V. T.* legi. xxxiv. diebus autem Mercurii atque Saturni, *pericopis euangelico-epistolice* more consueto operam impendi meam, nec non *textus poenitentiales* breuissime explicavi.

In latinis cum schemata declinationum et coniugationum assidue ostendi, tum cum prouectioribus pauca ad analysin grammaticam spectantia, tractavi; vocabula latina quotidie memoriae tradenda, lectionemque historiarum latinarum, diligenter curans.

In

In scholis *privatis* non solum in his laboribus denuo fui occupatus, sed alios quoque subiunxi. Ex *historia* nimirum speciatim de vniuersi huius creatione, de paradiso, et de arca Noae cum tirunculis meis sum collocutus. Quod ad *geographiam* spectat, generalissimam illis dedi globi notitiam, et nomina regnorum Europae cum iis communicauit.

De caetero, ardentissimis imploro precibus DEVM T. O. M. vt iuuentus in spem meliorum temporum semper magis magisque excreseat, vt Sanctissimi Seruatoris nostri exemplum, omneque verbum diuinum animo discipulorum altissime sit infixum, vt salus et scholae, et rotius publicae rei nostrae in dies augeatur, aucta corroboretur, corroborata firma sit semper atque inconcussa.



Q 78 678

In schola praesens non habetis scribitis
us, 123 alios quosque lapidibus. Ex his
virescentibus etiam de parulis et de
le mors sua pollicetur. Sed id exspectat
nam his debet globositate, et hominum
communitate.

De castoreo, arboribus in solo praesens DEVI T. O. M. vi
pudens in fine in horto in parte magna
fuit, et semper in horto in parte magna
numquam desinitur, et in horto in parte
cuius partem et horto in parte magna
forma fuit in tempore horto in parte magna.



MC



ak Tlg 678

VEB


ULB Halle

3

004 081 897







Farbkarte #13

B.I.G.

515
38

I. N. I.
CATALOGVS
LECTIONVM

II g
678

&
EXERCITATIONVM,
Quae
IN IOANNEO HAMBVRGENSI

per proximam aestatem habitae,
publicoque Examine
Anno MDCCLXIII. d. XVIII. & XIX. Octobr.
ab hora IX. antemeridiana & III. pomeridiana,
debita integraque fide subjienda sunt.

Cui Examine Solenni & Publico

ut vacare velint
Omnium Trium Collegiorum
AMPLISSIMI DOMINI SCHOLARCHAE,

Omnesque, quotquot Scholae Classibus examinandis
sua auctoritate adesse solent,

per hunc Indicem

et, qua decet, observantia & humanitate
rogantur & invitantur.



Hamburgi,

Litteris I. C. Piscatoris, Ampliff. Senatus, Gymnasii & Scholae Typographi.

